Diuersæ conclusiones in quibus continentur uariæ explicationes diuinæ scripturæ, et et in summã Theologiæ D. Tho. et quædam philosophica, ut uidere est in sequenti Catalago.

In p.a sex capita D. Joãnis.
In Isaiam
In p.a capita epistæ ad Romanos.
Item in epistolam ad Romanos
In epistolas ss. Jacobi et Judæ Apost.
In p.am par. s. Thomæ.
Item in p.am partẽ usq. ad q. 12.
De ecclesia et Concilijs uberius
In 2.2. de iust. et alijs uirtutib., et 3. par. de sacris in gnrē.
In 3. par. de Incarnatione.
Item de sacris in gnrē.
Item de sacrto Eucharistiæ uberius
Item de pñtia et eius partibus
Ex uniuersa philosophia et Theol. [redacted]
Ex p.a par. et 3. par. et logica.
Ex uniuersa philosophia.
Ex uniuersa Theologia et philosophia
Ex uniuersa Theologia et philosophia P. A. Sã.

Diversi tractatus in quibus
continentur multe explicatio-
nes divine scripture, et de
[illegible]
ac quedam philosophica, ut
videre est in sequenti
catalogo


In p° capitulo D. Joannis
In passione
In p° capitulo epistole ad Romanos
Item in epistolam ad Romanos
In epistolas ss. Jacobi et Jude [illegible]
In p° parte s. Thome
Item [illegible] ad q. 12
De [illegible]
In 2.2. [illegible] et 3 parte [illegible]
In 3 parte de Incarnatione
Item [illegible]
Item de sancto Eucharistie [illegible]
Item de [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

ASSERTIONES

THEOLOGICAE,

In prima sex capita Euangelij secundum Ioannem.

ANTE INSTAVRATIONEM *studiorum, in templo societatis* IESV *disputandæ.*





ROMAE, IN AEDIBVS SOCIETATIS IESV Anno M. D. LXI.

EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM.

EVangelij Ioannis summa hæc est: Quis Christus sit, Cur in hūc mūdū venerit, Et quid ea, dum hîc vixit, causa egerit. Venit videlicet ad homines Dei filius, factusq́; est homo, vt homines Dei filios faceret. Id verò doctrina, vitæq́; exemplo, & suis meritis ita perfecit, vt nemo ei quisquam fide & charitate coniunctus, si in eo statu perseueret, perire, nemo, nisi ita coniunctus, viuere poßit.

IN PRINCIPIO ERAT VERBVM.

CVm multa à multis in hunc locum dicantur, nos ex sacrorū Doctorum commentarijs hunc sensum colligimus: cùm nihil anteà præceßisset, erat in Patre verbum, atq; ipsum etiam erat cum Patre principium. Ex quo deinde colligi potest, filium nec Patre posteriorem, nec minorem, aut ab eo natura differentē, sed ei coæternum, æqualem, & consubstantialem esse.

ERAT.

VErbo hoc & generationis æternæ ratio, quæ eodem semper modo se habens, nullum nec principium, nec finem durationis habet, cōmodißimè significatur, & Arrij error planè euertitur, cuius illa impia vox erat, Erat quando non erat. Si enim, vt ait Basilius, in principio erat, quando non erat?

VERBVM.

ET hac voce Dei filius aptißimè significatus est. Nam cùm proceßit ex mente diuina, idq́; citra affectionem, vt Basilius ait, totumq́; in se genitorem tanquàm eius imago ostendit, tùm nobis Patrem erat annunciaturus. Nec verò illud hoc loco prætereundum putamus, quod est à plerisq; omnibus obseruatū,

non simpliciter λόγον, sed adiecto articulo, τὸν λόγον fuisse dictum, quò videlicet intelligeremus de eximio quodam, & singulari verbo sermonem institutum, quod esset, vt ait Chrysostomus, à reliquis omnibus quàm longissimè separatum.

ET VERBVM ERAT APVD DEVM.

VT proximis verbis, quibus ostensum est, Quando erat, Arrij, vt diximus, error conuulsus est; ita ijs, quibus declaratur, Vbi erat, Sabellij, qui filium à Patre non distinguebat, error conuincitur. Porrò cùm dicitur, Apud Deum erat, non modo à Patre filius distinctus esse, sed in se etiam, vt ait Cyrillus, subsistens ostenditur, &, vt alij annotarunt, non modò Patris autoritas, sed etiam coniunctio & societas cum filio declaratur, fitq; illis hæreticorum obiectionibus satis, vbi erat, aut vnde erat, quod ante omnia erat? aut si in Patre & à Patre erat, quo erat?

ET DEVS ERAT VERBVM.

HActenus, Quando erat, & Vbi erat, expositum est. His ergò verbis explicatur, Quid erat. Meritò verò, vt ait Origenes, hoc potiùs, quàm alio loco, quòd filius à Patre, apud quem proximè dictum est, quod erat, habeat quòd Deus est. Cæterùm quod ait, Deus erat verbum, ita esse accipiendum, vt Deus sit prædicatum, & verbum subiectum, cùm est cõmunis Doctorũ sentẽtia, tùm ipsa græca verba declarare videntur, nec.n. legimus ὁ θεὸς ἦν λόγος, sed θεὸς ἦν ὁ λόγος, quibus planè ĩdicatur, ipsum verbum, de quo hactenus verba fiunt, esse, non quidem illam personam, quæ Dei nomine, proximè significata est, sed eundem tamen cum Patre Deum: quanquàm si quis putet, Deum esse subiectum, & Verbum prædicatum, sensumq; esse, Deum eundem & Patrem esse, apud quem verbum erat, & esse ipsum verbum, defendi fortasse potest eiusmodi sententia.

HOC ERAT IN PRINCIPIO APVD DEVM.

ILle nobis hoc loco cõmentarius placet, quo hæc tanquàm Epilogus superiorum accipiantur: vt sensus sit, quemadmodùm

ait Cyrillus, de verbo illo sermonem institui, quod erat in principio, quodq; erat apud Patrem, & quod Deus erat; vel, vt alij indicant, verbum in principio apud Deum ita fuisse, vt Deus nō ex tempore factus sit, sed semper fuerit.

OMNIA PER IPSVM FACTA SVNT.

VEl ex hoc loco intelligi potest, filium non esse creaturam, quî enim fieri potuit is, vt ait Augustinus, per quem omnia facta sunt? Cæterùm quòd per verbum omnia dicuntur facta, non ideò putandum est, verbum esse instrumentum, aut Patre minorem, cùm sit vna eademq; vtriusq; natura, & virtus: tantum enim illa particula, Per, significatum est, vel, vt ait Chrysost. verbum non esse ingenitum, vel, vt Cyrillus ait, Dei esse virtutem & sapientiam.

ILlud porrò obseruandum est: hactenus de verbi natura sermonem habitum, ad eius virtutem explicandam conuerti, simulq; ostendi, filium Patri æqualem, coæternum, & consubstātialem. Nam si æqualis non esset, aut coæternus, & consubstantialis, non per ipsum omnia facta fuissent.

NEc verò putari debet Spiritus sanctus factus esse, quòd per filium omnia dicuntur facta, nec enim id ita dictum est, quasi nihil sit quod per filium factum non sit; alioqui & Filius, & Pater facti esse existimandi erunt, quo nihil potest quicquam absurdius cogitari. Verùm in hunc illa verbū sensum sunt accipienda, vt nihil eorum, quæ facta sunt, nisi per verbum factum putetur.

DEniq; quod per filium Pater omnia fecit, ita debet intelligi; vt fuerit quidem filius causa rerum efficiendarum à Patre, non autem Patri causa vt faceret: Fecit etenim Deus more artificis, qui rei, quam sit effecturus, formam priùs concipit, Patris verò conceptus verbum est.

ET SINE IPSO FACTVM EST NIHIL.

TAm non ſunt audiendi qui per, nihil, hoc loco vel Diabolum, vel aliam quampiam naturam intelligendam putarunt; quàm verum eſt, nihil eſſe, quod ab Euangeliſta nihil dicitur: nec tamen illorum ſententia improbanda eſt, qui in hũc locũ affirmant, nihil eſſe peccatum, quod ſine Deo factum ſit.

NE cui verò in mentem veniat, ſuperuacaneum fuiſſe id addere, cùm proximè dictum ſit, omnia per verbum facta eſſe; illud eſt aduertendum, quod Hilarius annotauit, adiectum hoc; ne putaretur verbum ſolum, & non Pater res effeciſſe; itemq́; quod ait Origenes, vt intelligeretur, in rebus à ſe factis verbum ineſſe, vt ſine quo conſeruante nihil quicquàm poſſit id, quod accepit, eſſe retinere.

NAm quòd quidam exiſtimant, ita hunc locum eſſe legendum; & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt; etſi ſcimus probatum eſſe à Diuo Chryſoſtomo, atq; ad id valere, vt intelligamus, quòd omnia Ioannes dixit per verbum facta, de his tantùm eſſe accipiendum, quæ facta ſint, alÿq; ità legant, ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt in ipſo; illud tamen nobis magis probatur, quod eſt à Clemente Alexandrino, & Auguſtino, alÿsq́; multis Doctoribus approbatum, nimirũ tres illas voces, Quod factum eſt, cũ ſequẽtibus cõiũgẽdas.

QVOD FACTVM EST IN IPSO VITA ERAT.

ETſi ille in hunc locum receptus eſt Cõmentarius, quæ facta ſunt, fuiſſe, antequàm fierent, vitam in verbo; tamen illud non minus eſt probabile, ſignificari hoc loco, in his, quæ facta ſint, verbum vitam eſſe, id eſt omnia quæ facta ſunt, in verbo ſeu verbi virtute viuere, & eſſe quod ſunt, quemadmodum à Paulo dictum eſt, In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus. Nec ille eſt ſenſus improbandus, Quod eſt in verbo & per verbum factum ſalutis noſtræ cauſa, id nobis eſſe vitam: Mortem enim

nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit: &, vt D. Paulus ait, factus est nobis à Deo sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.

ET VITA ERAT LVX HOMINVM.

EX hoc loco confirmari potest quod proximè à nobis dictum est. Porrò cùm dicitur, vitam esse hominum lucem, tùm planè indicatur, sic demùm homines dignā Deo vitam viuere, si in luce sint, atq; , vti D. Paulus ait, vt filij lucis ambulent.

ET LVX IN TENEBRIS LVCET.

TEnebras dici posse quæcunq; indigent illuminatione, sentit Cyrillus; quare hoc loco omnium rerum lucem esse, seu rebus omnibus lucem, quam habent, verbum dedisse, significatum est: quanquàm illud etiam quadret, quod ait Chrysostomus, vt tenebrarū nomine mors, et errores, atq; etiam peccata intelligātur, quibus nos Christus omnibus sua et vita, et morte liberauit.

FVIT HOMO MISSVS A DEO.

EX hoc loco potest intelligi, illud Malachiæ, Ecce egò mitto Angelum &c. non propter substantiam, sed ob ministerium fuisse dictum; erat enim Ioannes substantia quidem homo, quod hîc affirmatur; at officio, quod illic dicitur, angelus.

VT OMNES CREDERENT.

DEus neminem quidem vult perire, vt ait D. Petrus, sed omnes, vt inquit D. Paulus, saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quòd itaq; multi non credunt, pauciq; saluantur, non ad inscrutabilia solùm Dei iudicia, sed ad cuiusque etiam culpam referendum est. Cum ijs autem, qui omni videntur remedio destituti, iustè agitur; quando, vt nihil aliud sit ab his peccatū, omnes ex Adam nati (virginem semper excipimus) reatu

originalis peccati obstricti tenentur.

CREDERENT.

Appositè credendi verbum testimonij verbo adiectum est; Nam & si ea, quæ credimus, aliqua ex parte videamus (videmus enim saltem eiusmodi ea esse, vt credi debeant) non tamen illa in se quisquam, dum per fidem ambulat, sed in dicentis tantùm autoritate cognoscit.

LVX VERA.

Vera hæc lux dicitur, non modò quia falsa non est, vt fuit illa, quæ apud Philosophos lux putabatur, nec figurarum vmbris, vt ea, quæ fuit in veteri testamento, sacramentorum, variorumq; rituum velaminibus contecta; sed etiam quia non participatiōe, sed per essētiā lux est, quo etiā modo illud à Ioāne primæ epistolæ vltimo cap. dictū est, Vt simus in vero filio eius.

QVAE ILLVMINAT OMNEM HOMINEM.

Non id ita accipiendum est, quasi nemo sit, quem Deus nō illuminet, nisi quis ad eam hæc illuminationem referri velit, qua Deus rationis lumen vnicuiq; indidit: sed hoc ideo dictū est, quia Deus, vt ait Chrysostomus, omnes quod in se est, illuminat, vel quia nemo nisi à Deo, vt Augustinus ait, illuminatur. Sic enim etiam dictum est, Erigit Dominus omnes elisos, quòd videlicet nisi à Deo nemo erigi quisquam possit.

IN MVNDO ERAT.

Est Deus quidem in mundo; sed ita, vt in eo potius mundus esse dicendus sit; quando ab eo & conseruatur, & regitur: cùm verò dicitur in rebus esse, intimus cuiq; esse intelligendus est; quia est ipsum esse, quod omnibus, quæ sunt, esse cōmunicat; vt verissimum sit illud, quod est Doctorum omnium ore

celebratum,

celebratum, esse Deum in rebus non modò per præsentiam, & potentiam, verùm etiam per essentiam.

MVNDVS EVM NON COGNOVIT.

QVanquàm Deus perfectè nisi per fidem cognosci à nobis in hac vita non potest; posse tamen multa de Deo rationis naturalis lumine certò cognosci, apertè Paulus Romanis scribens testatur, cum ait, Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.

IN PROPRIA VENIT.

ETsi Dei sunt omnia quæcunque sunt, propria tamen hoc loco dicuntur, quæ ex hominum omnium genere peculiari quadam ratione gubernanda elegit. Vnde illud, Nos autem populus eius. Et illud, Dominus elegit te hodie, vt sis ei populus peculiaris.

ET SVI EVM NON RECEPERVNT.

POtest vel ex hoc loco intelligi, quanta sit liberi arbitrij potestas, quando nec Deus quenquam se accipere cogit, nec vllam voluntati nostræ vim, aut necessitatem infert, sed ita nos mouet ad bonum, vt liberum tamen cuiq; sit, si velit, sequi; si nolit, nõ sequi. Ita Deum isti, cũ possent, et deberẽt, recipere noluerũt.

DEDIT EIS POTESTATEM FILIOS Dei fieri.

HAec aduentus Christi in mundum causa fuit, vt filiorum adoptionem, quemadmodum Paulus ait, reciperemus. Id verò facit Deus in nobis per gratiam seu charitatem, quam diffundẽs in cordibus nostris, nos ex iniustis & impijs, iustos piosq; efficit. Potestatem verò ad id nobis tùm videtur dare, cùm ad ea excitat, & mouet, quibus ad iustificationis gratiam præparemur.

HIS QVI CREDVNT IN NOMINE EIVS.

HOc est recipere ad se venientem lucem, nempe in Christum credere. Quod qui faciunt, non quidem, vt dicunt hæretici, eo ipso iusti sunt, aut, vt illi loquuntur, iusti habentur, quòd credunt; sed potestatẽ, vt ait Ioannes, accipiunt per fidem, vt fiãt deinde filij Dei: possunt enim, si velint, non prius tamen futuri, quàm charitatem habeant, sine qua Paulus nihil esse affirmat eos, qui omnem etiam fidem habeãt.

ET VERBVM CARO FACTVM EST.

NOn est insolens in scriptura, nunc animæ, nunc verò carnis nomine hominem totũ significari. Certè hoc loco totam à verbo humanam naturam fuisse assumptam Ioannes significat.

QVanquam autem ea sit mysterij huius sublimitas, vt non modò non comprehendi, sed ne intelligi quidem à nobis tãta res poßit; quæ tamen à sacris scriptoribus didicimus, hæc libenter defendimus: Primùm nullam fuisse in verbo mutationem factam, cum carnem assumpsit: cuius rei nonnulla est in verbo nostro similitudo, quod cùm vox ea quodammodo fiat, in qua hominum, vt ait August. sensibus manifestatur, non tamen in vocem mutatur, nec in litteras, quas cùm induerit, vt est in Concil. Ephesino, visibile fit & tractabile. Fuit itaq; Dei Verbum inuisibile, visibile factum, atq; tractabile, sed mutatũ non fuit, in sola enim humana natura facta est, quæcunq; in Verbi incarnatione mutatio accidit.

DEinde factum esse filium Dei hominis filium, vt, quod suprà diximus, hominum filios Dei filios faceret, natumq; ex homine Deum, vt ex Deo homines nascerentur. Quod cùm sit, ita meritum ad eam rem in homine esse nón potest, vt non fuit in homine Christo, vt Deus esset.

PRaeterea neq; fuisse duas in vnam naturas conuersas, aut in duabus naturis duas fuisse personas, aut carni animam, aut animæ intelligendi potentiam, aut vtriq; carnis, & animæ veritatem defuisse; sed quã erat reparaturus naturam humanã, eandem totamq; assumpsisse, tantaq; sibi coniunctione copulasse, vt idem sit in Christo Deus qui homo, Itemq; homo idem qui Deus; tanto porrò vinculo adeoq; indissolubili, vt nunquã neq; caro neq; anima Christi à verbo fuerit separata.

DEniq; etsi potuerunt & Pater, & Spiritus sanctus carnẽ assumere; non tamen id tantopere conuenisse, neq; si Dei, nec si hominum ratio haberetur. Etenim per Patris imaginem, Dei erat in nobis imago reformanda, parq; erat, vt per quam hominem cunctaq; condiderat sapientiam, in eum omnia, à quo deciderant, statum restitueret; redirentq; ad Deum vniuersa per eum, per quem fuissent in suam quæq; naturam tanquam egressa à Deo, atq; in hanc lucem prolata.

HABITAVIT IN NOBIS.

MAgnum hîc Cyrillus vult fuisse mysterium reuelatum; esse videlicet omnes in Christo, cõmunemq; in illo humanæ naturæ personam reuixisse: Vtq; Adam primus tanquam qui in omnibus esset, aut in illo potius omnes, cunctos suo peccato peremit, Ita Christũ, qui per nostræ assumptionem naturæ in omnibus habitauit, gloria omnes, & ĩmortalitate locupletasse.

ET VIDIMVS GLORIAM EIVS.

VEl hoc ad eam visionem referendum est, qua in monte Ioãnes cum Petro & Iacobo Christi gloriam vidit, vidit etiã cum cæteris post resurrectionem suam cum discipulis conuersantem, & in cœlos tandem magna cum gloria ascendentem: vel illud hoc loco significatur, vidisse Apostolos, Christiq; discipulos, ea Christi opera, quæ illum Deum esse apertissimè confirmarent.

TAntum abeſt, vt negetur hoc loco Chriſtus eſſe vnigenitus, vt quàm maximè atq; apertißimè confirmetur. Ita enim hoc dictum eſt, vti ſi quis de Deo & hominibus dicat, nihil eſſe mirum ſi ea faciat Deus, quæ nos capere non poßimus; facit enim ille quaſi Deus, nos quaſi homines intelligimus. Vbi tantum abeſt vt negemus illum Deum eſſe, nos autem homines, vt id velut rei propoſitæ, cauſam afferamus, nempe quòd ille Deus ſit, ideò ea facere, quæ noſtrum intellectum, qui quoniã eſt hominum, admodum eſt imbecillus, longè ſuperant.

CÆterùm quòd Chriſtus nunc vnigenitus in ſcriptura dicitur, nunc verò primogenitus, illa cauſa eſt; quòd etſi ſolus natura ſit filius Dei, adoptione tamen ſunt multi Dei filij. Sic enim quanquàm vnus eſt Deus, participatione tamen, aut ſimilitudine Deos multos legimus in ſcriptura.

A PATRE.

VEl à Patre gloriam datam ſignificat, vel patri eſſe vnigenitum, certè vtrũq; verum eſt, ſed alterũ tamẽ alterius ratio. Inde enim gloriã tantã habuit, quòd Patris eſſet vnigenitus.

PLENVM GRATIÆ.

QVod apud Lucam dicitur, Chriſtus profeciſſe ſapientia & gratia; non ita accipiendum eſt, quaſi ea, quam accepit in conceptione humana eius natura, vel ſapientia, vel gratia progreſſu temporis aucta ſit; ſed quòd magis eum homines in dies admirarentur, illorùm potiùs, vt ait Cyrillus, opinio, quàm Chriſti gratia, creſcebat.

CHriſtum porrò gratia plenum itá debemus intelligere, vt, quia Deus erat homo ille, maior nulla gratia eſſe potuerit; quod verò ad eam, quæ à Theologis habitualis dicitur, gratiam

pertinet, habuit tantam, quanta potuit in eo esse maxima. Nec est illorum sententia improbabilis, qui hanc Christi gratiam infinitam affirmant.

ET VERITATIS.

ET Christus veritas ipsa est, & infinitam habuit rerum cognitionem, etsi verò Deum neq; comprehendit, nec potest, vt homo est, comprehendere, vidit tamen semper Deum, atq; ita vidit, vt in illo omniũ quæcunq; aut fuerunt, vnquàm, aut sunt, aut futuræ sunt, perfectam atq; apertam habuerit rerum cognitionem: quanquàm etiam ea causa hoc loco veritatis plenus dici potuerit, quòd veteris testamenti figuras & promissiones, allata veritate, atq; exhibitis rebus, impleuerit.

QVod dicunt quidam, plenum posse cum Ioanne coniungi, neutiquàm ferendum est; nam præterquàm quòd eum translatio nostra sensum nullo modo fert, plus æquo Ioanni tribuitur, si plenus gratia & veritate dicatur. Proprium.n. id est verbi, nec nisi Christo ea, de qua hoc loco sermo fit, plenitudo gratiæ & veritatis data est: id quod illa planè verba confirmant, quæ posteà sequuntur, Et de plenitudine eius nos omnes accepimus: itaq; vox plenum, ita est cum superioribus coniungenda, habitauit in nobis plenum gratiæ & veritatis.

QVI POST ME VENTVRVS EST, ANte me factus est, quia prior me erat.

NOn ille est huic loco, vt ait Cyrillus, conueniens sensus, posteriorem fuisse Christum Ioanne, quod ad conceptionem & incarnationem pertinet; nec enim Ioannes hæc Natiuitatis suæ, aut Conceptionis tempore affirmat; sed illud potius significatur, qui esset hominum opinione inferior Ioãne futurus, multò illo esse progressu temporis excellentiorem habendum; idq; optimo iure; quando superior multo sit non solùm vt Deus, verùm etiam vt homo est. Verè enim à

Ioanne eodem dictum illud est, Non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.

ET DE PLENITVDINE EIVS &c.

HAec siue Euangelistæ, vt Cyrillus & Chrysostomus putant, siue, vt existimant Origenes & August. Baptistæ verba sint, hunc sensum habent, à Christo tanquam à fonte ad Sanctos omnes gratiam esse deriuatam, nec nisi per eum haberi, vt Paulus ait, accessum in gratiam. Quòd si hoc loco plenitudinem, diuinitatem intelligimus, non homines modò, sed etiam Angeli à Christo gratiam acceperunt.

GRATIAM PRO GRATIA.

VEl pro lege Euangelium acceptum dicit, vt Cyrillus indicat, & Chrysostomus, vel, vt ait Augustinus, gratia fides est, vt quæ nullis meritis detur; ea vero quia viuentes gratiam æternæ vitæ merentur, propterea hoc loco gratia dari pro gratia dicitur. Tametsi enim præmium est & merces bonorum operum, tamen quia & ipsa merita Dei gratia facit, meritò dicitur & hoc loco, & ad Rom. 6. Gratia Dei vita æterna; cùm. n. Deus meritis nostris mercedem cælestem retribuit, tùm, vt ait Augustinus, coronat dona sua. Quòd si quis pro gratia Christi datam nobis gratiam velit, quia meruit ille nobis primam gratiam, vera est sententia.

LEX PER MOYSEN DATA EST. &c.

DAta est per Moysen lex, qua, vt Paulus ait, delictum abundaret, per Christum verò gratia, quæ mundi, vt ait Ioannes, peccata tolleret. Nam lex iubebat quidem, quidq; ab homine fieri Deus vellet, ostendebat; sed vt fieret non iuuabat, nec homines, cùm reos ostenderet, peccato soluebat. Id itaque effecit Christus, vt qui sub lege rei erant, sub gratia iusti, quiq; peccato seruientes liberi fuerant iustitiæ, peccato li-

berati iustitiæ serui essent.

GRATIA ET VERITAS PER IESVM Christum facta est.

ET gratiam fecit Christus, quia Deus est; & veritatē, quia suo aduentu figuras impleuit: quanquam etiam vt homo est, gratiam fecisse idcirco dici potest, quia eius merito impius iustificatur, & humanitate tanquam Dei instrumento eiusmodi opera peraguntur.

DEVM NEMO VIDIT VNQVAM.

DEum neminem vidisse, hoc loco ait Ioannes; neminem autem videre posse, Paulus Timotheo scribens: quorum sententiam cùm illa Christi verba confirmant, Nemo nouit Patrem nisi filius, tum illud explicat, quod sequitur, Et cui voluerit filius reuelare. Non itaq; putandum est, negatum vel ab Euangelista, vel ab Apostolo, posse alicui Dei visionem contingere: sed illud potius sentiendum, vel, vt pleriq; dicunt, comprehensionem intelligendam esse, quibuscunq; in locis Deum ait scriptura videri non posse, vel omnibus id naturæ viribus negari: quod Dei tamen reuelatione & gratia poßit & in hac vita contingere & in altera futurum speremus. alioqui negare simpliciter Dei visionem homini, est ei, vt ait D. Thomas, beatitudinem negare, & illis Christi verbis contradicere, quibus Beatos dicit mundos corde, quoniam ipsi Deū videbunt.

QVI EST IN SINV PATRIS IPSE enarrauit.

SInum hoc loco vocat, quod Dauid Psal. ij. vterum dixit; vtroq; verò nomine secretum Patris substantiæ significatur, in qua filium Pater tanquam radicatum, vt ait Cyrillus, atq; ex se germinantem habet. Cæterùm quòd enarrasse filius dicitur, id ad euidentiam, vt ait Chrysostomus, referen-

dum est, qua Trinitatis mysteria, aliaq; Dei sacramenta nobis aperuit.

HELIAS ES TV? ET DIXIT, NON SVM.

NOn debet hoc putari illis esse Christi verbis contrarium, quibus Ioēs dicitur esse Helias; nam Christus non eũ illum Heliam dicit, qui fuit in veteri lege, sed qui illius instar, similiq; spiritu, Christi primum aduentum praecesserit, vt alter ille secundum est aliquando praecessurus. Vnde Luc. 1. & ipse praecedet ante illum in Spiritu & virtute Heliae. Ioēs itaq; hoc loco propriè, vt ait August. Christus verò illic figuratè loquitur; quo modo possumus dicere, Ioãnem secundò venturum; Veniet enim Helias in Ioannis spiritu & virtute.

PROPHETA ES TV? ET RESPONDIT NON.

NEc hîc se prophetam negat, aut illis & Patris sui, & Christi testimonijs contradicit, quibus & propheta esse, & plusquàm propheta declaratus est; sed qui interrogantium mentem agnosceret, ait se, non qualem illi putarent prophetam esse; nam & suprà ad mentem magis eorum, quàm verba respondens, se Christum esse negauit. Quanquàm si, vt uolunt Cyrillus & Origenes, propheta hoc loco ille intelligendus est, de quo à Mose Deut. 18. scriptum est, tum magis apparet, Ioannem nihil à vero alienum dicere.

VOX CLAMANTIS.

VEl hoc loco clamare per Ioēm Christus intelligendus est, vel hebraica phrasi clamantis pro clamãs positũ est.

DIRIGITE VIAM DOMINI.

ET hîc liberi arbitrij facultatis admonemur. Si enim nõ possumus viam dirigere, cur ad id clamans Ioannes hortatur? si verò

si verò possumus, quomodo non liberi esse putandi sumus?

EGO BAPTIZO IN AQVA. &c.

NOn erat Ioannis baptismus, qui gratiam daret, sed qui ad Christi, qui solus tollit peccata mũdi, gratiã præpararet.

NON SVM DIGNVS SOLVERE corrigiam. &c.

NOn est quòd ex hoc loco quisquam operum, quæ iusti faciant, dignitatem aut meritum negandi occasionem sumat. tantùm enim id significatur, nihil ferè Ioannem esse, si cum Christo conferatur; tantamq; esse Christi excellentiam, atq; dignitatem, vt cuiusuis excellentia ei comparata nulla esse meritò videri poßit; cum præsertim, si quid est dignitatis vel in Ioanne, vel in alijs, id totum ex Christo sit, adeoq; se quisq; meritò dicere poßit non dignum esse, qui vel calceamenti Christi corrigiam soluat.

QVI TOLLIT PECCATA MVNDI.

VEl hic locus hæreticorum errorem damnat, quo peccata non tolli volunt, sed non imputari à Deo. Si enim peccata post remißionem manent, quomodo ablata sunt? aut si sunt ablata, quare isti tam sunt iniqui in homines, vt eos velint esse perpetuò peccatores? tàm porrò in Deum iniurij, vt eum vel non putent auferre à nobis peccata posse; aut, cùm poßit, nolle existiment?

ET EGO NESCIEBAM EVM. &c.

VEl, vt ait Cyrillus, à se nesciuisse ait, sed dei reuelatione intellexisse, quis esset Christus; vel, vt putat August. erat quod de Christo nosset, erat etiam quod ignoraret. Potest etiã dici, quod existimat Chrysostomus, id quod Ioannes ait, ad

ſuperiora tempora, & non ea, quæ circa baptiſma fuerant, eſſe referendum; alioqui agnouiſſe eum Chriſtum ad baptiſmum accedentem, illud argumento eſt, quod dixit, Ego à te debeo baptizari. &c.

QVASI COLVMBAM.

SIue illa fuerit vera columba, vt putat Auguſt. ſiue, vt alij cenſent, columbæ tantùm ſpecies, non magis exiſtimandū, in vnitatem ſuppoſiti à Spiritu ſancto fuiſſe aſſumptam, quàm fuerunt illæ aſſumptæ, in quibus Dominus olim figuris apparebat.

TV VOCABERIS CEPHAS.

SIgnificat Chriſtus hoc loco, vt ait Cyrillus, ſe in Petro tanquam in petra ſuam eſſe eccleſiam firmiſſimè ædificaturum, quod illic eſt ei apertè promiſſum, vbi à Chriſto dictum eſt ipſi, Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam; præſtitum verò Ioannis vltimo, cùm ijs ei verbis eccleſiæ à Chriſto gubernatio credita eſt, Paſce oues meas.

FILIVM IOSEPH.

SI putabat Nathanaël Chriſtum conceptum ex Virgine, id idcircò dixit, quòd Chriſtus vulgo filius Ioſeph putaretur, vnde & virgo ipſa his eſt filium aliquando verbis allocuta, Ego, & Pater tuus dolentes quærebamus te; ſin verò ignorabat, nihil mirum eſt, quando & ipſi Apoſtoli diu cum Chriſto verſati multa ignorabant.

CVM ESSES SVB FICV, VIDI TE.

QVanquam illa Auguſtini ſententia improbanda non ſit, viſum eſſe Nathanaëlem à Chriſto, cum ſub vmbra mortis eſſet; Ficum enim hoc loco peccati eſſe ſtatum: tamen quod Chryſoſtomus ait, ſub ficu quadam fuiſſe Nathanaëlem,

TV ES FILIVS DEI.

ETsi existimat Diuus Chrysost. confeßionem hanc non illi parem fuisse, qua postea Petrus eisdem ferè verbis, Matth. 16. Christum confessus est esse filium Dei; tamen quod alij putant, non est improbandum, Nathanaëlem Christi diuinitatem confiteri.

VIDEBITIS COELVM APERTVM.

NOn est putandum vel aliquando fuisse apertum Cœlum, vel futurum, cum sit incorruptibile; sed apparuisse apertum; nisi quis apertum hoc loco cœlum ideò dici velit, quòd in cœlum aditum Christus aperuerit.

ANGELOS ASCENDENTES & descendentes.

ILlorum nobis in hunc locum sententia placet, qui quod hic Christus dicit, factum aliquando quidem esse, sed quando factum sit, non esse scriptum affirmant.

IN CAPVT SECVNDVM.

DIE TERTIA.

NOn est putandum eodem anno, quo Christus baptizatus est, venisse ad nuptias; minimum enim inter baptismum & nuptias annus integer interceßit, ex quo illud deinde sequitur, si Christus cùm baptizaretur, annum egerat trigesimum, cùm passus est, annos fuisse natum triginta tres, & menses tres.

QVID MIHI ET TIBI EST MVLIER?

ILle nobis huius loci sensus esse videtur, Quid mihi tecum est mulier, cur me huius rei debeas admonere, aut quid necesse est

vt me admoneas, qui sciam, quando hæc facere sit opportunũ? Quod si cui mirum accidit, Christum, qui matri dixit, suam nondum miraculum faciendi horam venisse, eius tamen oratione permotum, vinum fecisse ex aqua, cogitandum est, quæ non fuerat anteà opportunitas data, fuisse matre petente oblatam; neq; enim decebat, quod talis mater supplex peteret, à filio denegari. Iam verò quòd matrem videtur durius allocutus, neminem debet mouere, quando ea quæ dura videtur responsio, cùm nihil habeat ab eo, qui parentibus debetur honore alienum; tùm nobis maximo est documento, non humano affectu, sed diuino præscripto eiusmodi opera esse facienda.

HOC FECIT INITIVM SIGNORVM Iesus &c.

NOn ait fuisse id signũ primum eorũ solũ, quæ sint à Christo in Cana facta, sed simpliciter omnium Christi signorum primum fuisse; perindè enim hoc dictum est, ac si dixisset, Itaq; in Cana factum est à Christo signorum initium. Id quod illis, quæ sequuntur, verbis confirmatur; & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

SOLVITE TEMPLVM HOC.

NOn iubet soluere, sed quod sciebat facturos, aperit, idq; ad eorum, vt ait Cyrillus, vtilitatem, siquid illi sensus habuissent.

ET CREDIDERVNT SCRIPTVRAE & sermoni. &c.

NOn ideò post resurrectionem credidisse dicuntur, quod ea cùm Christus diceret nullo modo crediderint, sed quod re posteà perfectius intellecta, apertoq; ijs sensu, vt intelligerent scripturas, Christi verbis perfectiorem fidem habuerint.

NISI QVIS RENATVS FVERIT DENVO &c.

SIne baptismi lauacro, & hic et infrà Christus affirmat, nemini posse salutem contingere, sed id non modò cum re suscipitur, sed & voto susceptum salutem afferre, & sanctorũ Patrum sententijs, & Conciliorum etiam decretis cõfirmatum est.

NISI QVIS RENATVS FVERIT ex aqua &c.

VEl ex hoc loco potest illorum sententia confirmari, qui sacramẽta, Dei instrumenta ita dicunt, vt in ijs efficiẽdi gratiam virtutem agnoscant. Certè Cyrillus ità ait, vt ignis viribus intensis calefacta aqua, non aliter, quàm ignis, vrit; ita spiritus sancti operatione ad diuinam aquæ reformantur virtutem, qua baptizati corpus abstergunt. Et Chrysost. Ex quo, inquit, Iordanẽ ingressus est Christus, spirituales animas aqua producit.

SPIRITVS VBI VVLT SPIRAT.

SPiritus nomine hoc loco ventum intelligi grauissimi autores asserunt, vt sensus sit; non esse mirum, spirituales res non facilè à nobis percipi posse, quando ea, quæ ante nos sunt, adeò sunt aliquando cognitu difficilia, vt ne venti quidem initium, cùm flat, aut exitum possis agnoscere. quanquã quod alij sentiunt, de spiritu sancto sermonem fieri, probari etiam potest; eoq; magis, quòd vtro cunq; modo accipiatur, eòdem res recidit; Significatur enim ea, de quibus Christus dicere cœpit, eiusmodi esse, vt sine Dei spiritu intelligi perfectè non possint.

SI TERRENA DIXI VOBIS. &c.

ILlorum nobis hoc loco sententia placet, qui hoc ita accipiunt, quasi à Christo dictum sit; Qui mihi de his differenti quæ

etsi diuina sunt, in terra tamen ac in terrenis hominibus peraguntur, fidem non habetis, quomodo, si de cœlestibus rebus atq; à mundo hoc omninò separatis disseruero, fidem habebitis?

NEMO ASCENDIT IN COELVM. &c.

HOc planè loco intelligi datur, primùm neminem, qui Christi membrum non sit, in cœlum posse ascendere: deinde vnam & eandem personam, quod suprà diximus, Deum esse & hominem: postremò Christum cùm hæc diceret, in cœlo, id est Dei visione, adeoq; beatum fuisse.

QVOD VIDIT, ET AVDIVIT. &c.

ILlud his verbis more scripturæ significatur, non ignota sibi, sed perspecta, atq; explorata filium Dei loqui: Ea enim loquitur, quæ à Patre didicit, id est quorum, cùm gigneretur, cognitionem accepit: accepit verò eandem, quam Pater habet virtutem, vt suprà diximus, & sapientiam.

IN CAPVT QVARTVM.

QVANQVAM IESVS NON BAPTIZARET, sed Discipuli eius.

ALios quidem non à Christo, sed à Discipulis fuisse baptizatos Ioannes indicat, at discipulos, per quos alios esset baptizaturus, Christum baptizasse, autor est Augustinus. Cæterùm baptismum à discipulis Christi datum, ante eius paßionem sanctificandi virtutem habuisse, etsi sunt qui negent, nobis tamen Augustini contraria sententia magis probatur.

QVI BIBERIT EX AQVA, QVAM EGO dabo ei, non sitiet.

NOn est quòd ex hoc loco quisquam colligat, gratiam semel acceptam non posse amitti, tantùm .n. hìc dicitur,

Dei gratia expleri hominum appetitum; quod etsi aliqua ex parte contingit in hac vita, in beata tamen plena est futura satietas. Vnde à Dauide illud dictum est, Satiabor cùm apparuerit gloria tua; & illud, Replebimur in bonis domus tuæ.

VERI ADORATORES ADORABVNT Patrem in spiritu, & veritate.

NIhil hoc hæreticos adiuuat, qui sacras ecclesiæ ceremonias contemnunt, quin eorum potiùs errorem atq; impietatem arguit, quando ea est maximè vera & spiritualis adoratio, quæ ijs, quos Deus per ecclesiam instituit, ritibus fit. Quod si externus Dei cultus negligendus videtur, fas etiam erit negligere ecclesiæ sacramenta.

IN SPIRITV ET VERITATE.

IN spiritu adoratio ea dicitur, quæ charitate fit, seu renouato spiritu mentis nostræ; in veritate autem, quæ non iudaico more in figuris & vmbris, sed contrito corde, et humiliato, atq; ad deum conuerso: cui illud expositioni fauet, quod supra dictum est, Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. quanquam siquis spiritum carnalibus Iudæorum ceremonijs, figuris autem veritatem, aut spiritum figuris, veritatem autem gentium mendacijs opponendam putet, non est improbanda sententia.

IN CAPVT QVINTVM.

PATER MEVS VSQVE MODO OPEratur, & ego operor.

QVanquàm filius eadem cum Patre operatione in creaturis operatur, quò illud videtur spectare, Quæcunq; Pater facit, hæc & filius similiter facit; tamen à Patre habet & quod est, vt supra diximus, & quòd operatur: quò illud pertinere videri potest, & quòd hîc prius paterna, quàm sua

operationis meminit, & quòd infrà dicitur, Non potest filius à se facere quicquam &c.

OMNIA DEMONSTRAT EI, QVAE ipse facit.

PAter demonstrando, vt ait August. filium gignit, nec aliud est filio, videre Patrem, quàm esse Filium; videndo enim natus est, & nascendo videt, dixitq; Pater in filio, quæ esset facturus per filium; & cùm dixit, filium genuit, per quem esset omnia facturus.

NEC ENIM PATER IVDICAT quenquam. &c.

IVdicat quidem Pater, sed non solus iudicat. Nam & filio, quam habet, iudicandi potestatem gignendo dedit. Quanuis etiam filio iudicium tùm datum esse intelligi potest, cùm factus est homo. Nec enim, vt homo est, iudicandi antè potestatem habuit, quàm homo esset. Accepit ergo iudicium, quod ab æterno habebat vt Deus est, quando homo ex tempore factus est, atq; id in manifesto, vt ait Augustinus, solus ipse exercebit.

SI EGO TESTIMONIVM PERHIBEO DE meipso, testimonium meum non est verum.

VEl ille huius loci sensus est, scio vos dicturos, si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non esse verum; vel, quod eòdem recidit, scio vobis verum non esse, quòd ego de me testimonium perhibeam. Potest & illud dici, si ego à me ipso testimonium de me fero, nolite credere.

EGO AB HOMINE TESTIMONIVM non accipio.

ACcipit quidem ab hominibus Christus testimonium, sed nec ab hominibus solùm, nec necessariò; verùm hominum causa.

sa. Potest & illud dici, non accipere Christum ab homine testimonium, vt hominis est, sed vt Dei est.

NEC VOCEM EIVS VNQVAM AVDISTIS.

DEi quidem vox erat, cùm Deus in deserto per Angelum loqueretur, Sed ideò Dei fuisse negatur, vel quod isti non, vt par erat, de Dei natura, & loquendi modo sentirent, vel quòd eam, si quam Dei vocem audierant, non intellexerant.

IN CAPVT SEXTVM.

DISTRIBVIT DISCVMBENTIBVS.

COnstat quidem diuina virtute fuisse panes illos multiplicatos, sed qua ratione multiplicati sint, non est perinde certum; verisimile est addita materia fuisse ex paucis panibus plurimos effectos.

VOLVERVNT EVM ACCIPERE IN NAVIM

NOn negat ingressum esse Christum in nauim, sed voluntatis discipulorum tantùm meminit; nam quòd ingressus sit, Matthæus narrat.

HVNC ENIM PATER SIGNAVIT DEVS.

SIgnasse dicitur Pater filium, vel quia ei totam suam substantiam dedit; est.n.filius Patris, vt ait Paulus, character, & in eadem, vt ait Cyrillus, cum Patre forma deitatis, quæ quia humanitati veluti impressa est, hac etiam causa signatus videri poßit. Adde, quòd est et præ cæteris consortibus, vt est ĩ Psal. à Patre vnctus, et quis esset, Patris testimonio declaratus.

DESCENDI DE COELO, NON VT FACIAM voluntatem meam. &c.

Voluntatem suam Christus dicit, qua pati nolebat, vnde illa etiam eius vox ad Patrem, Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu. Habebat enim tanquam homo naturalem appetitum, quo pati recusabat. Potest etiam dici, quia Christi voluntas à Patris voluntate nunquàm discrepauit, non tam suam illum, quàm Patris voluntatem facturum venisse.

NEMO POTEST VENIRE AD ME, NISI Pater, qui misit me, traxerit illum.

Non negat Christus hîc liberum arbitrium, sed huic ostendit, vt ait Chrysost. diuino esse opus auxilio, etsi enim nemo venit nisi tractus, nemo tamen inuitus, nemoq; nisi liberè trahitur.

ERVNT OMNES DOCIBILES DEI.

Vel omnes dixit, qui volunt, vel omnes pro pluribus positũ est; nisi quis malit hoc ita dictum esse, vt illud dictum est, Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ; & eiusmodi pleraq; alia in scriptura.

PANIS, QVEM EGO DABO, CARO mea est. &c.

Apertè Christus affirmat carnem se nobis suam in cibum daturum, id verò præstitum ab ipso esse in Eucharistiæ sacramento, tàm multis est & Dei, & sanctorum testimonijs cõfirmatum, vt nemo id sine crimine hæresis possit negare.

NISI MANDVCAVERITIS CARNEM filij hominis. &c.

Necessarium esse ad salutem, Christi carnem manducare ex hoc loco planè habetur; non esse autem necessarium omnibus sanguinis etiam speciem in sacramento sumere, vel

ex illo poteſt intelligi, quod Chriſtus proximè dixit, Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum; & infrà, Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

CARO NON PRODEST QVICQVAM.

Non negat prodeſſe carnem ſuam, quam paulò antè dixit & dandam pro mundi vita, & vitam ſe manducanti præſtare; ſed illum iſtorum carnalem ſenſum reprobat, qui eis non modò profuturus non erat, ſed magno etiam ad ſalutem impedimento futurus. Quanquam etiam illud dici in hunc locum poteſt, carnē Chriſti, quòd proſit, non ex ſe, ſed ex ſpiritu, ſeu deitate habere: Cui laus eſt, & gloria per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

F I N I S.

De licentia Superiorum.



FINE